DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ mensis Januarii. An. Domini M. DCC. LXXI.

non fuit probata à decano

M. CLAUDIO-THOMA-GUILLELMO GUILBERT DE PREVAL, Doctore Medico, Præside.

An Amor venereus, sextus sensus?

I.



OMINI tùm pro vitâ tuendâ, tum pro voluptate percipienda, facultates, organa, sensus benignè natura concessit. His, tanquam variis instrumentis, lapidibusque lydiis instructus exteriora explorare, ingrata fugere, grata prosequi, actiones diversimodas obire potis est. Inter hæc pleraque beneficia adnumerandi sunt sensus, quorum ope omnium rerum sensibilium homo fit capax & conscius. Exteriores vulgò numero quinque, suis instrumentis præditi, in diversis anterioribusque corporis partibus opportunè positi prodeunt. Ex his quatuor in capite, tanquam in arce collocati, rerum externarum nuntii interpretesque de objectorum ambientium motu, figura, mole, colore, distantia, odoribus, saporibus, sonisque certiorem faciunt. Tactûs sensorium, omni corporis superficie diffusum, totum quasi colligitur in digitorum apice. Sensuum instrumente pro necessitati bonique perceptione, citiùs aut tardiùs perficiuntur. Sic lingua, gustûs instrumentum, unà cum aere & labiis antliæ prementis aspirantisque vices gerens, è papilla mammillari lac sugens, sensûs primam voluptatem, dulcemque alimentum infanti inscio præstat. Cæteri sensus, alii aliorum auxiliatores, sensim evolvuntur in pueritia; in genere ad tutelam hominis conservationemque, omnes, peculiariter ad unam functionem, unus, duo, tresve simùl dispositi concurrere videntur. Sic auditus ad loquelam, gustus & olfactus ad alimentorum ingestionem, visus tactusque ad corporis defensionem præcipuè instituti videntur.

Sed non ſuffecerat, naturæ inſtituto, hominem his ſenſoriis propriæ conſervationi dicatis muniiſſe, requirebatur ut cum perfectionem corpus attigiſſet, pro ſpecie propaganda, ſimiliſque reproductione aliis inſtrumentis muniretur. Hinc novus partium apparatus, alterius compaginis explicatio. Si puella, ampliatur pelvis, ſororiantur mammæ, partes generationi deditæ, anteà plerumque rudes, craſſæ, inexplicatæ, nunc oſſium pelvis receſſu ad latera, attenuantur explicantur, &c. ex uteri ſinu erumpit latex ſanguineus, puella ſalutatur nubilis, fit apta viro. Si mas, vox adhuc gracilis, dubia, rauceſcit, fit audax & virilis; teſtes, ſi incarcerati, nunc foras protruduntur; penis triplici tubo, ſpongioſaque ſubſtantia conſtans extenditur: mentum regionibus noſtris lanugine obumbratur: audacia virilis, membrorum toroſitas, robur ſeminis proliferi præſentiam, vim, præſtantioremque ſexum indicant. Adeſt boni obſcura perceptio; uterque ſexus inſcius, mox natura magiſtro, ruit in amplexus venereos.

Ex mutuo amplexu, novum quaſi emergit corpus, nova compages, peculiaris functio. Utriuſque enim ſexûs ita confunduntur partes, ita ordinantur, ut uterus cum ventriculo, urethræ viri fiſtula cum œſophago, pars urethræ in qua colligitur, conquaſſatur humorique proſtatico miſcetur ſemen virile, cum oris cavitate, teſtes cum parotidibus; proſtaticæ, Cowperianæ, Littriique glandulæ cum maxillaribus, ſublingualibus, œſophageis, muſculorum actio qua colligitur conquaſſaturque ſemen virile cum maxillarum actione, ſeminis in uterum emiſſio cum deglutitione, quin ipſum ſemen virile ſpiritibus dives cum ſaliva ipſa quodammodo comparari poſſint. Et ſi naturæ in partibus efformandis, reproducendiſque unus idemque ſit modus; non à veroſimili abhorret quin uterus per conſenſum, ut ventriculus ſuas, potentias erigat: alter generationis, alter digeſtionis officina; utrique perficiendæ varia inſtrumenta, ſenſus peculiares, mechanici phyſicique motus, glandularum apparatus, humorum ſecretio, affluxus, miſcela, fermentum, officinæ clauſura, intùs calor, labor, ſucci nutritii efformatio, tandem chylo ſicut lacti receptaculum, tandem ſolidi reſidui mechanica expulſio. Sed magnum inter hæc anologiæ ſpecimen à ſenſibus peculiaribus utrique conceſſis eruitur: nam ſicut olfactus, guſtus ſitis & fames ad unum concurrunt, ſic ſenſus veneris, affectus eroticus, nymphomania, hyſteromania, diverſi quidam appetitus, fami aut ſiti haud diſſimiles, utero aliiſque partibus ipſius dominii conceſſi, ad generationem concurrunt. Hinc novus ſenſuum ordo ab auctoribus non memoratus.

I I.

INTER inſtrumenta hiſce dicta, hæc obſervanda veniunt. Utrumque ſexum perluſtranti tibi occurrunt in fœminino labia, Nymphæ, carunculæ myrtiformes, quibus adhæret uniens pellicula quæ dicitur hymen, ſinus uteri, uterus, tubæ fallopianæ, ligamenta lata, rotunda, ovaria, corpora glanduloſa vaginæ ſulcis inſita; hæc omnia humoribus diverſi generis ab arteriis hypogaſtricis ſuppe-

ditatis irrigantur; nerveis expanſionibus à paribus ſacris, lumbaribus, magno ſympathico, parietibus, vaginæ rugis, ci cà os uteri præſertim diſtributis inſtructa ſunt: in maſculino ſexu duplex teſtium corpus, quadruplici membrana tectum, ſepto medio in duo diviſum; epidydimis, funiculus ſpermaticus ex quo emergit vas deferens, veſiculæ ſeminales, proſtatæ: penis corpus, ſubſtantia fungoſa, celluloſa triplicique tubo conſtans, firmis involucris extenſionem limimitantibus coopertum, inſtar radicis bifurcatæ ex parte inferiore oſſium pubis iſchiique proceſſu, utrimque originem ducens, angulo acuto divaricatum ad ſymphiſim oſſium pubis tendens ligamentoſo involucro arctè ibi in unum coadunatur urethræque fiſtulam ſubſtratam comitantemque uſque ad finem accipit; Balanus, præcipua voluptatis venereæ ſedes, præputio partim coopertus, ex urethræ fungoſæ ſubſtantiæ expanſione efformatus, cuticulâ tenuiſſimâ tectus, in tota ſuperficie, præſertim coronâ nerveis papillis (*a*) inſtruitur. Urethræ tunica interior, nerveis plurimis expanſionibus cooperta, humoribus blandis, à glandulis proſtaticis, Cowperianis, Littrii, aliiſque per emiſſaria, lacunas in cavum hiantes irrigatur, contràque urinæ acredines deffenditur. Sanguinem penis corpus irrigantem ab arteriis hypôgaſtricis cruralibuſque ſuppeditatum ramuli venoſi plures in unum, qui vena pudenda dictus, ſymphiſi oſſiûm pubis ſubjacens, coaliti remeant.

(*a*) Ruyſch, adv. 1. p. 14.

Penis corpus mirabili multiplicique potentia erigitur. Litteræ Græcæ Y inverſæ formam, circulo verticaliter poſito inferiorique parte ſecto incumbentis referens, huic ita ad-nectitur, ut punctum adunationis in unum, circuli parti integræ ſuperiori, quæ arcus oſſium pubis dicitur, reſpondeat; brachia verò inferiùs lateraliter expanſa ſeorſim parietibus circuli, antè puncta ſectionis quæ tuberoſitates oſſium, iſchii dicuntur inferuntur. Corpus penis ſic inferiùs divaricatum, ſuperiùs unum multiplici quaſi fune circuli parietibus adnectitur, diverſâque parte trahitur, 1°. uno, qui dicitur ligamentum ſuſpenſorium ad ſuperiora; 2°. quaternis, ex quibus duo muſculi iſchiocavernoſi ſeu erectores dicti, duo acceſſores, ab utraque tuberoſitate orti corporibuſque cavernoſis utrinque inſiti ad latera ſursùmque; 3°. uno muſculo urethræ dilatatore poſtico dicto, biniſque muſculis libidinoſis ſeu bulbocavernoſis acceleratoribuſque dictis infrà depreſſum, intra potentias æquales quaſi æquilibratur. His poſitis, quacumque de cauſa iſchiocavernoſi contrahantur, tunc vena pudenda ſanguinem ex penis variis locis remeans comprimitur; compreſſa ſanguinis reditui obſtat; ſanguis intra corporum cavernoſorum cellulas inter ſe communicantes colligitur: præſentiâ, copiâ ſanguinis diffuſi turget veretrum, adeſt tenſio ſpaſmodica, orgaſmo venereo creſcens Dilatatoris urethræ poſtici contractione ampliatur fiſtulæ cavum, muſculorum proſtaticorum convulſivis ſuccuſſionibus exprimitur per duodecim emiſſaria proſtaticus humor, è veſiculis ſeminalibus per duo ſemen proliferum; utriuſque humoris fit affluxus, miſcela, quædam conquaſſatio. Præſentia, copia ſeminis proliferi irritante, flagrante naturâ prædit, fit major ſtimulus, irritatio, quandoque adeſt

ptyalifmus, unde Hippocrates orgafmum aphrodifiacum parvam epilepfiam feu partem epilepfiæ μικρὰν ἐπιληψίαν (b) vocat: in hoc ftatu atteruntur coronæ glandis clitoridifque papillæ nerveæ, tenfio fpafmodica fit major: ad fummum protrahuntur omnia: tunc mufculorum bulbo cavernoforum fphincterumque cutaneorum ani fimultanea actione fucuffivaque, liquor congeftus vi exprimitur uterique cavo, eodem orgafmo tenfi, cum fumma voluptate recipitur. Sic ab omni ævo reproducitur genus humanum. Poft veneream actionem in utriufque fexûs mente poffeffionis, voluptatis, caloris, typi, blandæ mollitiei idea novufque ex illa idearum ordo, quæ nec à tactu propriè dicto, nec à vifu, auditu, &c. percipiuntur quæque à veneris fenfu tantùm menti impertiuntur.

(b) V. Noct. att. Auli Gel. l. XIX. c. 11. ubi hac verba leguntur, nam fruftrà quæruntur in Hippocratis fcriptis.

III.

SENSIBUS omnibus, feu facultatibus objecta percipiendi hoc folemne eft quòd organum peculiare nerveis expanfionibus inftructum habeant. Nervorum organo infitorum talis eft conditio ut à cerebro vel medulla fpinali orti, hic aggregatim vel nudi, vel involucro tenui tecti, vel expanfione latâ medullofâ, vel papillari multiplici formâ hæreant, objectaque peculiaria habeant, quorum motus, impreffio, mediantibus illis fenforio communi traducantur. Hinc præ variorum objectorum incurrentium indole, figura, motu, mole; varia nervorum textura, expanfio diverfa. Sic papillæ nerveæ obtufæ, quæ in dorfo linguæ, maximè ad apicem & latera hærent vaginulis erectis porofifque inclufæ fub membrana exteriori linguæ, quafque variis experimentis folum guftûs organum effe evicit Laurentius Bellini (a), contra afperitatem, acredinem caloremque deffenduntur: fic papillæ pulpofæ, molles, pyramidales tactui exercendo dicatæ, tenuiffimâ, folidâ tamen; epidermide tectæ, in digitorum apice, contractili iterumque emiffili motu gaudentes intra cuticulæ fulcos foveafque tutò defenfæ deteguntur. In narium cavis humore blando, mucofo, in oculorum, aurium fundo, variis integumentis mediatè tutæ nerveæ expanfiones latent. Imò fpiritus quos nervorum intima percurrere fupponitur diverfæ indolis effe plerique autumarunt; fic *Duhamel* (b) puriores & quafi æthereos effe in oculis, mobiliores in aure, humore vifcido irretitos in lingua, neque omni vehiculo diftitui fibras nerveas membranæ mucofæ narium fubftratas; fimplices magis & nudos exiftere in tactûs organo exiftimauit: fed hæc opinio mera hypothefis videtur; fiquidem ut aliquid verifimilis ftatui poffit, faltem requiritur ut motûs leges, hoc fluido nerveo fuppofito infitæ nofcantur. Fluidum fuppofitum unum idemque effe in omnibus, fed præ diverfis impreffionibus accipiendis, nervorum diverfam effe texturam, conditionem, expanfionem probabilius videtur. Modus feu motus quo objecta fenfibilia mediantibus nervis cerebro tranfmittuntur, latet adhuc in tenebris; hanc phyficam paffionem fieri contiguitatis lege & ratione motu quodam undulatorio, undulationi quæ jactu lapidis percipitur in aquis fimili creditur. Veteres Stoici fenfuum organa, inftar polypi cujufdam, cujus caput in cere-

(a) Tractatus de organo guftus.

(b) Voy. Duhamel, de corpore animato.

bro, brachia verò variis ſenſoriis exporrecta quæque objectorum impreſſiones, exciperent & ad caput ipſum vel ſenſorium commune traducerent, ſibi exhibebant; *Duhamel* tanquam inſtrumentum tibiis pneumaticis, varios ſonos edentibus inſtructum, unâque potentia motum, ſenſuum compaginem ſibi repreſentat.

Quænam pars ſentiens, impreſſionis capax? hoc obſcurius, quidquid dixerint Neoterici, ut Baglivi, Haller, &c. An nervi fluido ignito fœti? Hoc verbis Hippocraticis conſonum videtur, nam ſic divus ſenex. *Quod calidum vocamus, id immortale mihi videtur, cunctaque intelligere, videre & audire ſentireque omnia*; (*c*) an animæ mundi Platonis portio? Videant oculatiores. Quidquid ſit, hoc hodiè in confeſſo apud omnes à ſenſibus omnem fieri cognitionem: hæc propoſitio ab Hippocrate (*d*) tranſmiſſa, Cartheſianis argumentis propugnata, apud nos inconcuſſa manet. Unde hoc medicis ſapientibuſque familiare *omnis ſcientia fit à ſenſu* (*e*). Ut ſenſus objecta percipiat requiritur 1°. ut nervi, ſenſuum præcipua inſtrumenta, ab origine uſque ad expanſionis locum ſint integerrimi; 2°. quòd frigus exterius illos non obtundat, hebetatque. Hæ ſunt præcipuæ leges ſine quibus impreſſio, ſenſatio, perceptio rei ſenſibilis fieri nequeunt. Omnium ſenſuum hoc proprium quod abſque aliorum ope ſeorſim actionem ſuam exercere poſſint. De ſenſorio communi, quod cerebri corpus fimbriatum Willis prædicat eſſe, tanquam locum convenientem, ubi, ut in pugillariis, ſit omnium rerum ſenſibilium communis impreſſio, non eſt idem conſenſus. His poſitis, omnibuſque receptum quod ſenſus ſit animalium facultas quâ objectorum ſenſibilium homo ſit conſcius; inquirendum nobis, incumbit, an præter ſenſus vulgares quinque inſtrumentis muniti ſuis, ſint alia ſenſoria exterioraq uorum actione homo ſit impreſſionum peculiarium capax, cuſtos & conſcius.

(*c*) Hippoc. lib. de carnibus.

(*d*) Hippoc. de officina Medici, in principio.

(*e*) De his vid. Willis de anim. brutor. & ſenſibus.

IV.

PLERIQUE auctores acri ingenio præditi, hominis ſenſationes, mentis operationes perſcrutando, præter vulgares ſenſus, alios ſuſpicati ſunt: Celeberrimus *Loke* (*a*) hanc opinionem innuit; ſed nullâ analyſi peculiari illos nec demonſtrare nec enucleare ſuſcepit. *Montagne* Gallicorum ſcriptorum clariſſimus, noſtrarum notionum limites in ſenſuum, aliis animalibus conceſſorum, penuria poſu t (*b*), dicens, quod ſi homo inſtrumentis, numero pluribus, fuiſſet inſtructus, phœnomena, quæ mentis noſtræ aciem fugiunt, ab illo caperentur. Præter quinque ſenſus vulgares, cujus organa compage, textura peculiari exterius extructa prodeunt, ſunt facultates ſeu ſenſus alii quorum ſedes adhuc incerta: hinc generalis diſtinctio in ſenſus interiores exterioreſque. Memoria, imaginatio, ſenſorium commune ſenſus interni dicuntur, his Boerrhaavius (*c*) attentionem, ar[illegible]i pathemata, alii appetitum, imò ſitim & famem adjecerunt; quanquam ab Hippocrate inter morbos rectè hi duo affectus annumerati fuere, dicente, *fames eſt morbus quidquid enim moleſtiam corpori affert, morbus vocatur, &c.* (*d*) ſed hîc præcipuè agitur de ſenſibus externis; quorum numerus vulgò ad quinque limita-

(*a*) Eſſais de l'entendem. hum. liv. II.

(*b*) Voy. Eſſ. de Michel Montagne. l. II. ch. I2.

(*c*) Boerrh. Inſt. Med. de ſenſib. interius lib.

(*d*) Hippoc. lib. de flatibus.

tus, ultra extenditur. Nam etsi Aristoteles unà cum Aulugellio sensum veneris tactus speciem seu tactum libidinosum esse dicant; in Thesi (*e*) quæ in hoc Appollinis fano propugnata fuit, ab hoc toto cœlo diversum esse demonstratum fuit. Nam sicut organum quodque nervorum diversâ texturâ dispositioneque gaudet, ut patet autopsiâ, si quidem in oculis expansio pulposa; in aure alia peculiaris nervi expansio ab illa diversa; in narium cauo fibrillæ tenuissimæ nerveæ nudæ, membranæ mucosæ sparsè dispositæ; in lingua vaginulis inclusæ papillæ; in digitorum apice, intrà sulcos foveasque forti cuticulâ tectæ, sero quodam imbutæ, quin in superficie corporis perpendiculares, hîc substratæ, elasticæque; sic in glandis superficie, papillæ â Ruyschio enucleatæ etsi pyramidales nullis vaginulis ut in lingua inclusæ, non firma cuticula ut in digitorum apice tutæ, sed valdè sensiles, tenuissima cuticula coopertæ, degustandi sapida, explorandi corporum diversa puncta, sinus, foveas, asperitates superficiei, formas regulares aut irregulares suscipiendi retinendique haud capaces: & sic à gustus tactusque instrumentis veneris sensorium valdè diversum. Majorem affinitatem habere videtur cum facultate qua homo titillatione, affrictu, ruit in cachinnos, cujus sensorium internum videtur diaphragma, cujusque effectum nullius rei sequitur perceptio, nulla idea, in quo differt ab aliis sensibus. Prætereà hæc facultas sensitiva quæ tactûs libidò seu voluptas vocari potest, nullum organum, nullum objectum peculiare habens, quibus sensûs nomen sortiatur, tunc meritò ex illorum numero excluditur. Idem non dici debet de veneris sensu: adest organum sensorium papillulis nerveis in utroque sexu instructum, rei sensibilis externæ impressio, quæ sensorio communi transmittitur, nervorum motus ut in aliis, peculiaris textura, aggregatio; objectum peculiare cujus dotes, qualitates, typi percipiuntur, in mente remanent. Ut in aliis requiruntur nervorum integritas, frigoris absentia. Sicut alii, sopo maximi momenti gentis humanæ conservationi, efformationi, inservit. Non est tactus, gustus, olfactus, visus, auditus. Quid est? sensus peculiaris cujus proprium ut aliorum est sensibile objectum explorare, ejus qualitates quasdam insitas nervorum ope percipere, sensorio communi traducere, ut ex illa sensatione ejusdem objecti fiant impressio manens, qualitatum idea, perceptio; quod fit ex veneris sensûs effectu.

(*e*) An veneris sensus à tactu diversus? affirm. conclud.

V.

SED ut clarius nostra elucidetur quæstio; supponatur homo sensibus quinque vulgaribus orbatus, solisque sensoriis generationi dicatis probè instructus, & fortunâ venerem obviam adeat, quid fit? Sanè sensus veneris adest: leniter atteruntur hujus organo dispersi nervei processus mammillares, fit peculiaris impressio ex qua nascitur in mente idea calidi, mollis, lævis, typi convenientis, titillationis, exquisitæ voluptatis, & ex illo connubio, possessionis proprietatis ideæ, novusque idearum ordo, quæ ab aliis sensibus suppeditari nequeunt. In somno renascentur ideæ, promethei cujusdam ignem rapientis imago, homo delusus veneris

phantasiâ, rem veneream exercere putat, fit eadem sensatio : sic de aliis sensibus.

Hæc satis ad communionem inter hunc sensum & alios stabiliendam, sed inter actionem ventriculi & uteri partiumque utrique concurrentium talis est analogia, ut præter sensum veneris, (quem Cl. *Le Cat* (*a*) castè ingenioséque *immortalitatis degustationem* seu ad immortalitatem propensionem vocat) sunt uteri partiumque ipsius dominii sensationes quæ nisi ventriculi affectibus consentiunt. Namque functionis magni momenti uterque officina, utrique os, appetitûs, famis, aut sitis cujusdam sedes; utrique fistula quâ fit alimenti ingestio ; utrique appetitûs objectum, ingesti degustatio, error in appetitu, gradus in sensatione ; saturatio ; utrique sensoria, sed exquisitiori sensu pro generationis opere perficiendo prædita, quia nisi boni cujusdam suavissimi perceptione tractus fuisset homo, pro alieni bono nunquam libenter egisset. Humanum est pro se ipso agere ; divinum autem pro alio : hinc pro alterius fabricatione, novum quasi corpus animatum in corpore, alter microcosmus in homine, peculiares sensus voluptate suavissima imbuti requirebantur ; tantæ molis erat humanam condere gentem.

(*a*) Traité des sens.

Ergò Amor venereus sextus sensus dici potest.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Edmundus-Thomas MOREAU.

M. Joannes-Baptista THURANT.

M. Ludovicus-Petrus-Felix-Renatus LE THIEULLIER, *Saluberrimæ Facultatis Decanus, Regis Consiliarius & in Majori Consilio, necnon in Magnâ Regiæ domus & Franciæ Præfecturâ Medicus ordinarius.*

M. Petrus-Ludovicus-Maria MALOET.

M. Carol. Geille DE SAINT LEGER, *Eques, Consiliarius Medicus Regis ordinarius primi ordinis & totius Equestris agminis in exercitu Medicus primarius.*

M. Antonius GARNIER.

M. Benjaminus Ludovicus LUCAS DELAUREMBERT.

M. Leander PEAGET, *Antiquus Consiliarius Medicus Regis ordinarius in ejus Castelleto.*

M. Ludovicus-Guillelmus LE MONNIER, *Consilia-Medicus Regis ordinarius Primarius Regiarum Parisiensis, Londinensis ac Berolinensis Academiarum Socius & in Horto Regio Botanices Professor ac Demonstrator.*

Proponebat Parisiis JOANNES-JACOBUS PAULET, Occitanus, Diocæsis Alesiensis, Doctor Medicus Monspeliensis, necnon Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, Theseos Auctor,

A. R. S. H. 1771. A SEXTA AD MERIDIEM.